



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Liber VI. De essentia, & conditionibus entis incorporei negatiuè sumpti;
siue entis spiritualis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

illorum & non horum sit vnioca latè declaratum cap. præced. Ad vltimum dicendum est, abstrahi quidem rationem vniuocam obiecti, siue cognoscibilis ab ente reali, & rationis, in eaque latere, & formaliter includi rationem entis, quin tamen propterea hæc debeat more illius esse vnioca. Nam à Petro, & Paulo,

v.g. abstrahitur ratio specifica hominis, in qua clauditur intimè ratio animalis, quæ tamen non est specifica, sed generica. Item à substantia corporea, & incorporea præscinditur ratio generica substantiæ, in qua imbibitur ens, quod tamen haud esse genus est probabile multorum opinio. Similiter ergo in præfenti, &c.

LIBER SEXTVS.

De essentia, & conditionibus entis incorporei negatiuè sumpti, siue entis spiritualis.

TRACTATVS I.

De essentia entis spiritualis.

CAPVT I.

Nostra sententia proponitur.



ANTEQUAM aliorum sententias de essentia entis spiritualis referam, aut reiciam; prius quid ipse sentiam, in medium profero, ac triplici assertione statuo. Assero igitur primo, rem aliquam esse propriè, ac rigorosè spiritualementem est, eam incorpoream esse, Hæc assertio me iudice nemini non placitura est, eamque sacris Scripturis conformem esse docet Augustinus com. 2. epist. 174. ibi: *Omnis incorporea natura spiritus in Scripturis appellatur: unde non tantum Patri, & Filio, ac Spiritui sancto, sed omni rationali creatura, & anime hoc vocabulum congruit.* Assero secundo, rem esse incorpoream, triplicem negationem importat: nempe rem illam non esse corpus, neque dependere in genere causæ materialis à corpore: ac demum non habere conditionem aliquam propriam corporis prout omnino, ac præcisè corpus est. Quod enim prima negatio harum non sufficiat ad hoc, vt res aliqua incorporea, & spiritualis sit, liquet ex accidentibus materialibus, quæ incorporea, & spiritualia non sunt; & tamen corpus non sunt, etsi ad illud attineant: solumque illud corpus est, quod illud in se suscipit, & quasi adunat, vt egregiè docet Gregorius Nyssenus in lib. de opificio hominis cap. 23. ibi: *Nam vt corpus non est quod colore, forma, soliditate, spatio, gravitate, attributis ceteris præditum non est, sicut hæc singula corpora non sunt, cum à corpore seorsim considerata distinguere possint: sic è contrario ubi ea, quæ recensuimus, coeunt, corpus constitui necesse est.*

Quod vero secunda negatio earum, quas nuper proposuimus non sufficiat ad hoc, vt res sit incorporea, & spiritualis, constat ex ipso corpore, siue materia prima, quæ quidem incorporea, & spiritualis non est: & tamen non dependet à corpore, siue à materia: nihil enim à seipso dependentiam sortiri potest. Quod etiam tertia negatio superius posita non sufficiat, vt quid spirituale, & incorporeum dici potest, perspicue cernere est in forma equi, leonis, aliave belluina: namque eiusmodi forma absolutè, ac simpliciter spiritualis, & incorporea dici nequit; &

tamen tertiam illam negationem habet, ac conditionem aliquam corporis strictè talis à se excludit, videlicet diuisibilitatem partium integralium, indiuisibilis enim est, vt inferius constabit: quod si diuisibilem eam malis, certè idem argumentum fieri potest in forma cæli, quæ spiritualis absolutè non est, cum tamen conditionem aliquam rei corporalis propriam, videlicet corruptibilitatem à se excludat: tum sic argumentor: neutra harum negationum per se sumpta ad rationem rei incorporeæ sufficit; aliunde vero non est, cur vna potius, quàm altera quæuis ad eam requiratur: ergo tres simul sumptæ eam necessario, ac essentialiter constituent. Porro autem conditiones propriæ corporis, siue rei corporalis, quæ omnino, ac præcisè talis sit, sex enumerari debent. Primo, vt res aliqua corporalis sit, oportet, vt integraliter diuisibilis, ac extensa sit: mox vt inuisibilis, siue sensibus corporeis imperceptibilis sit: deinde vt impenetrabilis cum quauis alia re eiusdem rationis sit: rursus vt mortalis, ac corruptibilis sit formaliter, aut radicaliter, id est, vt vel corrumpi in se, vel principium corruptionis substantialis esse possit: præterea vt irrationalis sit: ac tandem quod inde sequitur, vt libero arbitrio prædita non sit. Has conditiones infra tractatu sequenti latè discutiemus: aliquam earum exuere debet id, quod à corpore recedit, & incorporeum dicitur. Hinc explicatur nostra assertio apertissimo exemplo: corpus omnium consensu trina dimensione, videlicet longitudine, altitudine, & latitudine coalescit: congruè igitur res spiritualis corpori contraposta, ac suapte natura incorporea trina negatione à nobis definita est, vt trinae dimensionis trina negatio respondeat.

Assero tertio: non implicat contradictionem, sed potius possibilis est creatura aliqua, quæ penes idem realiter sui simul corporea, ac etiam spiritualis sit, idque non improprie solum, sed propriè, & rigorosè. Probatur assertio: quia non repugnat creatura aliqua impenetrabilis cum alia eiusdem rationis, quæ tamen integraliter composita non sit: at eiusmodi substantia partim corporea, partim spiritualis esset: ergo, &c. Maior perspicua videtur, cur enim impenetrabilitas alicuius substantiæ veter eam indiuisibilem simul esse, præsertim cum plures scholastici tract. sequenti numerandi censeant Angelos de facto impenetrabiles inuicem esse, cum tamen partium integralium expertes sint. Minor vero argumenti quoad primam partem probatur: siquidem ea substantia habet conditionem aliquam propriam rei corporalis, videlicet impenetrabilitatem: at quæuis conditio propria rei corporalis, eiusque quasi sigillatrix sufficit, vt res ea conditione affecta absolutè, ac simpliciter materialis

materialis dicatur, esto omnes alias conditiones corporis maxime talis non fortitur: malum enim ex quocunque defectu, quavis autem conditio corporis maxime talis propria censetur defectus & imperfectio: ergo ex quacunque id genus conditione res corporea, & quodammodo mala denominabitur. Hoc appositissimo exemplo declaratur: ut enim actus aliquis voluntatis censetur malus, ac demeritorius, satis est, ut quoad aliquam circumstantiam operis malus sit; neque oportet, ut omnes circumstantiae, in quibus sit, prohibita sint, malitiamque ei impertiant. Iam posterior pars minoris suadet, nempe substantiam illam possibilem proprie spiritualesse: siquidem res spiritualis quatenus talis triplici negatione superius explicata coalescit: at eiusmodi substantia triplicem illam negationem habet: namque in primis corpus omnino, ac precise tale non est: corpus enim ita sumptum sex conditiones corporis suprapositas sibi vendicat, quarum tamen aliquam nempe diuisionem integram substantia illa non fortitur: aut paulo aliter: substantia illa non est corpus eiusdem rationis cum nostro corpore, cum diuisibilis ac formaliter extensa ad instar nostri corporis non sit: ergo negationem corporis, de quo loquimur, non habet: deinde non dependet à corpore in genere causa materialis, cum substantia completa, & subsistens sit: ergo secundam negationem habet: praeterea non habet conditionem aliquam corporis omnino talis propriam, cum integraliter diuidua non sit: ergo tertiam negationem fortitur, ac proinde spiritualis euadet.

4 Hinc aliis non absimilibus modis eadem assertio probari potest: namque non repugnat substantia aliqua completa incorruptibilis, & aliunde partes integrales, & compositionem continuam excludens: ad modum quo de facto plures putant, caelos esse corruptibiles, & tamen essentialiter simplices: atqui ea substantia simul corporea, & spiritualis foret, ut constat ex iis, quae disseruimus. Post haec: non implicat contradictionem substantia aliqua nobis omnino inuisibilis, & neque mediate, neque mediis accidentibus suis sensibilis, quae tamen aut corruptibilis, aut diuisibilis sit, cum de facto forma substantialis equi, v.g. immediate inuisibilis sit, & tamen corruptibilis, & iuxta complures diuisibilis sit: at etiam talis substantia completa partim materialis, partim immaterialis foret. Rursus quid vetat, possibilem esse substantiam aliquam perceptiuam rerum spiritualium, aut quodammodo intellectiuam, aliunde vero diuisibilem integraliter, aut impenetrabilem: haud aliter ac actus nostri iuxta communioem sententiam intensiuam diuisibilitatem habent, cum tamen substantias intensiois gradualis expertes percipiant: at ea quoque substantia partim spiritualis, partim corporea esset. Plures eiusmodi combinationes quibus excogitare poterit, ex quarum possibilitate substantiae mixti generis partimque spiritualis, ac partim materialis non repugnantia perspicue sequitur.

5 Praeterea eadem assertio suadet: quia si qua ratione eadem res non posset esse simul corporea, ac spiritualis, maxime quia inintelligibile videretur, eandem rem simul esse corpoream, & incorpoream: quod simul corporea, ac spiritualis esset, proculdubio corporea, & incorporea euaderet. Nec satisfacit, si quis respondeat merito distinctionis virtualis eas differentias quantumvis oppositas in eandem rem conuenire posse, vnamque eius formalitatem esse corpoream, aliam vero à priori virtualiter distinctam incorpoream dici posse: nam ut in rebus creatis admittatur distinctio virtualis intrinseca, & praedicatorum

altriuscuius contradicentium in eadem re capacitas, certe ad praesentis difficultatis enodationem ea parum confert: siquidem vna formalitas prout virtualiter distincta ab alia esset simul corporea, & incorporea: quod tamen implicat: incorporea, ut supponitur: corporea, quia quod realiter identificatur cum corpore corporeum est: at formalitas incorporea identificatur realiter cum corpore; siue, quod perinde est, cum formalitate corporea: ergo ipsa corporea est. Maior proximè posita suadet: quia dependentia à corpore rem corpoream facit, ut videre est in formis substantialibus ab anima nostra distinctis, quae munere talis dependentiae corporeae euadunt: ergo identitas cum corpore rem corpoream efficit: at haec ratio, quae contrariae sententiae basis est, nihil concludit.

6 Quod in hunc modum probò: omnis res prout corporea plura connotata respicit: haud aliter ac viuens, animal, homo, & quavis alia ratio generica, aut specifica, non pauca connotat: connotata autem quae respiciuntur à re corporea prout tali, sunt diuisio integralis, cuius suapte natura capax est: sensio materialis, cui obici naturaliter potest: corruptio extrinsecus profecta, quam fubire etiam potest: penetratio cum alio quouis eiusdem rationis, cui repugnat: intellectio, aut volitio libera, quas habere nequit: res autem spiritualis respicit connotata diuersa, & alia omnia. Hinc fit, ut eadem indiuisibilis res, aut, si manis, eadem formalitas licet nequeat esse corporea, & incorporea in ordine ad eadem connotata, possit tamen talis esse in ordine ad diuersa: videlicet corporea in ordine ad diuisionem, siue extensionem partium, incorporea vero in ordine ad earundem penetrationem cum aliis eiusdem rationis: aut corporea in ordine ad sensationem externam, aut internam cui obici possit, incorporea vero in ordine ad mortem, ac corruptionem, cui obnoxia non sit: aut corporea in ordine ad intellectionem & volitionem, quarum incapax sit, incorporea vero in ordine ad alia connotata ex iis, quae supra enumerauimus. Quapropter plures scholasticos in praesenti materia ob id hallucinatos fuisse suspicor, quod doctrinam traditam aut ignorarint, aut certe non animaduenerint: quodque arbitrati sint, corpus & spiritum, vel conceptus connotatiuos non esse, vel certe ad vnum aliquod connotatum, non tamen vno, eodemque, sed diuerso, ac opposito modo referri, non vero ad totidem connotata: quod paulò supra recensuimus. Quod si ita se res haberet, bene verum esse admitterem, fieri non posse, ut eadem res simul corporea, & spiritualis esset, v.g. si res spiritualis per solam indiuisibilitatem continuam, & res corporea per solam diuisibilitatem definitur: sanè ut eadem res indiuisibilis integraliter, ac etiam diuisibilis integraliter esse nequit: ita simul materialis, ac spiritualis esse nequit: cum vero secus se res habeat, ac substantia materialis, & spiritualis, quatenus tales, varia connotata respiciant, non conficio, cur pro eorum varietate eadem res simul materialis, ac spiritualis à Deo produci nequeat.

7 Assero quartò, & vltimò: ut res aliqua precise spiritualis, omninoque immaterialis sit, oportet, ut sex illas corporis conditiones suprapositas à se collectiue sumptas excludat, & conditiones iis ex diametro oppositas aut formaliter, aut æquiualeuter habeat. Assertio probatur, primò: quia de singulis conditionibus tractatu sequenti constabit, eas enti omnino spirituali essentielles esse: ergo omnes collectiue sumptae ad eius essentiam attingebunt. Rursus secundò: cum aliqua res non excludit omnes illas sex conditiones, oppositasque omnes non fortitur, sed

sed aliquas tantum excludit, alias vero admittit, ea omnino spiritualis non est, sed partim spiritualis, partim corporalis, ut hactenus expendimus: ergo ut solum spiritualis, & omnino immaterialis sit, opus est, ut omnes corporis conditiones à se reiciat, omnesque oppositas sibi vendicat. Tertiò, quia bonum ex integra causa: at aliquid esse omnino spirituale ad bonitatem, ac perfectionem soli Deo, & Angelis, ac animabus nostris convenientem spectat: esse vero imperfectè, & ex parte spirituale ad malum, & imperfectionem attinet: ergo ad illud prius necesse est, ut aliquid sex conditiones corporis collectivè sumptas excludat, contrariasque sortiat.

CAPUT II.

Argumenta contraria soluntur.

8 Quid asseruimus supra primo loco, perinde esse aliquid esse spirituale, ac incorporeum esse apud omnes exploratum est, & absque temporis dispendio impugnari, ac propugnari nequit. Quod secundo loco asseruimus, incorporeum triplici negatione completi, nullis aut nullius momenti argumentis impeti potest. Quod asseruimus quarto loco, re omnino incorpoream sex conditiones sibi essentielles habere, quibus videlicet habeat, ut indivisibilis, immortalis, inuisibilis, penetrabilis intellectivo, atque libero arbitrio prædita sit: hoc, inquam, magis difficile est: namque plerique scholastici per aliquam tantum earum sex conditionum, aut certe per aliquas, non vero per omnes collectivè sumptas rem omnino spiritualement definitiunt. Ea autem argumenta, quibus persuadere nituntur, aliquas earum conditionum esse extra conceptum essentialem rei omnino spiritualis, eas nimirum, per quas ipsi spiritum non definiunt, tract. 4. huiusmodi libri dissolventur: quapropter solum id, quod tertio loco asseruimus, ab argumentis contrariis vindicandum superest.

9 Obiicies igitur primò: si qua ratione substantia aliqua completa possibilis esset, nulla sui parte omnino spiritualis, aut omnino materialis, sed se tota partim materialis, partim spiritualis: maxime quia non repugnat substantia completa impenetrabilis cum alia, aliunde vero integraliter simplex, & indivisibilis: at quamvis eiusmodi substantia non repugnet, non propterea partim corporea, partim incorporea erit, sed potius omnino corporea, & materialis. Quod in hunc modum ostendo: anima equi, v.g. est indivisibilis integraliter, aliunde est impenetrabilis naturaliter cum alia anima equina: neque enim eiusmodi animæ in eodem corpore penetrari possunt, ut constat, nec in diversis corporibus, cum fieri nequeat, ut diversa corpora penetrantur: at anima equi non est simul corporea, & spiritualis, sed potius omnino incorporea: ergo similiter, &c. Minor præterquam quod de se manifesta est, suadet ex Concilio Lateranensi sub Innocentio in cap. super de Trinitate ibi: *Sua omnipotentis virtute ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam spiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam, & deinde humanam quasi communem ex spiritu, & corpore constantem.* Quibus verbis Concilium creaturas spirituales recensens, solius Angeli, & hominis meminit; atque adeo præter utrumque nullam aliam creaturam quidquam spiritualitatis habentem agnoscit. Respondeo primò, animam equinam non habere independentiam à corpore purè, ac præcisè

R. P. Richardi Lyncei, Philosophi, Tom. III.


tali; & proinde ne vllatenus spiritualis sit, deesse illi secundam negationem earum, quas ad conceptum rei absolute spiritualis supra exigebamus: at substantia illa completa, & subsistens, de qua loquimur, independet à corpore, ac triplicem negationem rei spiritualis propriam sortitur. Respondeo secundo, animam equinam formaliter indivisibilem esse, ceterum virtualiter divisibilem esse, nimirum quia in virtute causæ passivæ, divisibilis, & extensa continetur. Respondeo tertio, mihi non improbabile esse cum B. Thoma 1. p. quæst. 14. articulo primo, Molina ibidem, & aliis formas bellinas, ac purè sensitivas ut gradum aliquem cognoscendi, sic etiam gradum aliquem, ac vestigium immaterialitatis obtinere, quantumvis iuxta definitionem Concilij simpliciter, ac absolute materialiter sint.

Obiicies secundo: si aliqua res secundum idem sui esset spiritualis, & corporea, ea proculdubio corporea, & incorporea esset: quod tamen clarum terminorum repugnantiam præferre videtur. Respondeo à me supra explicatum esse, quatenus eadem res in ordine ad eadem connotata corporea, & incorporea esse nequeat: in ordine tamen ad diversa connotata simul corporea, & incorporea esse queat. Idque ulterius explicatur, & confirmatur: unus idemque actus intellectus potest esse certus, & incertus, clarus, & obscurus in ordine ad diversa objecta, licet respectu unius objecti eas denominationes subire nequeat. Rursus idem voluntatis actus non respectu eiusdem, sed respectu diversorum, amor & odium efficax, & inefficax esse potest: parique ratione eadem res alteri similis, & dissimilis esse potest, si utraque non ad eòdem, sed ad diversos effectus referatur: ergo similiter in presenti, &c. Obiicies tertio: fieri non posse, ut aliqua res simul finita, & infinita sit: aliàs aliquid simul creator, & creatura esse posset: ergo eandem rem simul corpoream, & incorpoream esse repugnat. Respondeo, sicut eadem res creatura, & creator esse nequit; ita etiam in omni genere infinita, & aliquo modo finita esse non potest: hinc autem tantum sequitur, rem aliquam omnino incorpoream simul corpoream esse non posse: hoc autem ad veritatem accedit, & à nostra sententia non recedit. Quapropter argumentum factum sic retorqueo: res aliqua verè finita in vno genere eadem veritate, ac proprietate infinita in alio genere esse potest: ergo similiter, &c. Antecedens in conspicuo est: siquidem partes continui Arithmetice & in quantitate numeri infinitæ sunt, eadem mathematicè & in quantitate loci, siue extensione finitæ non sunt, vnumque palmum, v.g. non excedunt: pari ratione omnes homines possibiles quoad numerum sunt simpliciter infiniti, quoad eorum vero perfectionem simpliciter finiti, cum non solum à Deo, sed etiam à creaturis Angelicis perfectione superentur. Obiicies ultimò: fieri nequit, ut aliqua res simul substantia, & accidens sit: at sicut dividitur ens in substantiam, & accidens; ita substantia in corpoream, & spiritualem: ergo etiam eadem substantia simul corporea, & spiritualis esse non poterit. Respondeo negata maiori: siquidem relatio prædicamentalis similitudinis est propriè, ac realiter substantia utriusque correlativi, nimirum fundamenti, & termini, ac simul est propriè accidens respectu alterius eorum, nimirum fundamenti, cui summa cum proprietate accedit, quod hic & nunc termino assimiletur. Quidni igitur eadem res respectu diversorum est substantia, & accidens, ens per se, & ens non per se, sed in alio?

B b

Vide

11 Vide Bachonum in 4. distinctione 46. articulo 7. ubi docet contradictionem non implicare creaturam, quæ indiuisibiliter & secundum idem sit spiritalis & materialis. Quod tamen asserit eo loci animam nostram rationalem de facto esse simul materialem spiritualementque, mihi haudquaquam probatur. Quod etiam ibidem adstruit, calorem, quo nunc torquentur dæmones in inferno, esse partim materialem, partimque spiritualement, suas habet difficultates, quarum tamen vim expendere, & an, aut quousque conuincant examinare, non est huius loci. Interim consulendus est P. Franciscus Amicus de Angel. disp. 2. l. sect. 4. num. 77.



TRACTATUS II.

De sex conditionibus essentialibus entis spirituales.

CAPVT I.

An ens spirituale essentialiter simplex sit?

1 **S**SERO primò: ens omnino spirituale compositionem continuam, siue integram à se excludit. Ita Magister in 1. dist. 37. B. Thomas 1. p. q. 8. art. 2. ad 2. B. Bonauent. in 2. d. 2. q. 1. Scotus ibidem q. 9. P. Vasquez 1. p. disp. 1. 8. à n. 30. & P. Hurtado disp. 2. de anima sect. 3. Probatur autem assertio: omne corpus purè tale est integraliter diuisibile: ergo è contrario omnis spiritus est continuè indiuisibilis. Consequentia hæc aut concedi debet, aut hæc omnes neganda sunt: ens finitum est ens ab alio: ergo ens infinitum est ens à se, siue non ab alio: accidens est in alio: ergo substantia est ens per se, siue non in alio: veritas est conformitas actus cum obiecto: ergo falsitas est difformitas vtriusque: equidem sicut parium par ubique ratio est, ita etiam contrariorum contraria vbi libet ratio esse debet. Antecedens nostri argumenti suadet: cum quia corpora omnia præcise talia, nimirum ea, quæ de facto existunt, & ex quorum noticia, & experientia naturam corporis in communi omnino talis veniamur; ita comparata sunt, vt integraliter diuisibilia, & formaliter extensa sint: ergo corpus vt sic, si merum corpus sit, eam diuisibilitatem, & extensionem essentialiter postulat: alias profectò fingi posset, hominem vt sic, animal rationale non esse, quamuis omnes homines, quotquot experimur, animalia rationalia sint. Tum etiam quia ita de corpore præcise tali, ac prout distinguitur à spiritu, sentiunt Aristoteles lib. 1. de cælo cap. 1. Corpus est, quod est diuisibile omni ex parte. August. epist. 28. ibi: Porro si corpus non est, nisi quod per loci spatium aliqua longitudine, latitudine, altitudine ita sistitur, vel mouetur, vt maiore sui parte maiorem locum occupet, & breuiore breuiorem, minusque sit in parte, quam in toto, non est corpus anima. Claudianus lib. 1. de statu animæ cap. 18. ibi: Hoc illi porro contendunt, qui animam partibilem putant, quanquam indissociabili consequentia, si corporea foret, partibilis foret: quia & partibile quod corporeum, & corporeum omne, quod partibile. Ac tandem vt alios prætermittam, id insinuat Chrysostomus tom. 4. hom. 5. in epist. Paul. ad Coloss. cap. 1. ibi: Quod vero circumscribitur in forma est: forma autem à delineatione: linea vero corporum sunt.

2 Assertioni præcedenti refragantur P. Suarez 2. metaphys. disp. 4. sectione 1. num. 11. & de Angelis lib. 4. per totum cap. 4. Arriaga disp. 1. de anima sect. 4. subsect. 2. alique plures, qui per penetrabilitatem, aliumve conceptum rem spiritualement definiunt. Obiciunt igitur hi Auctores primò: non repugnat substantia aliqua completa impenetrabilis, & integraliter diuisibilis: at eiusmodi substantia esset omnino spiritalis: ergo de ratione substantiæ omnino spiritalis non est integralis indiuisibilitas. Minorem probant: quia substantia impenetrabilis, & integraliter indiuisibilis est omnino materialis: ergo è contrario substantia penetrabilis, quantumlibet diuisibilis, erit omnino spiritalis. Respondeo negata minori, & eius probatione: probabilis enim est, neutram substantiam esse omnino spiritualement, aut omnino materialem; sed potius alterutram esse partim materialem, partim spiritualement. Alij respondebunt, vtramque substantiam esse omnino materialem: quia bonum ex integra causa, malum ex quocunque defectu: quare vt aliqua substantia sit omnino materialis, vt vel diuisibilis, vel impenetrabilis sit: vt autem spiritalis aliquo modo esset, necesse erat, vt non solum penetrabilis, verum etiam indiuisibilis esset. Verum quæstio de modo loquendi est, parumque referre arbitror, vtrouis modo loquaris, vbi vtriusque substantiæ, aliarumque mixti generis possibilitatem nobis largiaris. Deinde modus loquendi à nobis vsurpatus satis verisimilis, ac probabilis est; & iuxta eum optimè explicatur, quatenus bonum sit ex integra causa, & malum ex quocunque defectu: siquidem non solum rem esse omnino materialem, omniisque spiritalitatis expertem malum quid, ac imperfectum censetur, sed etiam rem esse materialem, licet non omnino talis sit, sed potius non nihil immaterialitatis habeat. Hinc est, vt, substantia penetrabilis, aut diuisibilis, aut impenetrabilis, & diuisibilis, licet partim materialis, partim spiritalis sit, mala tamen ex quocunque defectu sit.

3 Obiciunt secundò: Angelus est in loco non per solam suam subsistentiam, neque per actionem aliquam transeuntem, neque per vnionem cum corpore, sed per modum ab omni corpore absolutum, soli que spatio imaginario quodammodo affixum: at eiusmodi modus purè spiritalis est, cum nulli corpori adhæreat, ac soli Angelo inhæreat: aliunde vero diuisibilis est, nam cum Angelus per spatium se continuè mouet, ille modus vicationis continuè etiam deperditur, aliusque ei pari tenore succedit: ergo non est de ratione rei perfectè spiritalis, vt aliquam indiuisibilitatem integram fortiaur. Respondeo primò, permixta vbitate illa Angelica omnino spiritali, eam quidem esse formaliter diuisibilem, & continuam: ceterum esse virtualiter indiuisibilem, eo quod contineatur in virtute causæ passivæ, quæ indiuisibilis sit. hoc autem fortassis sufficere, vt nullo modo materialis, sed potius omnino spiritalis sit. Respondeo secundò, vbitatem illam Angelicam extensam, ac diuisibilem purè spiritualement non esse, sed potius partim materialem, partim spiritualement; eo quod compositionem corporis propriam sibi vendicat; aliunde vero indiuisibilitatem, penetrabilitatem, aliasque conditiones spiritus sortiaur. Et vero mirandum non est, accidens aliquod receptum in puro, ac perfectò spiritu, cuiusmodi est Angelus, aliquatenus tamen corpori esse: sicut enim corpus nostrum non supernaturaliter, sed consentaneè, & accommodatè ad rerum naturas animæ spiritualement recipit; cur è contrario Angelus spiritalis præcise cum sit, vbitatem tamen corpoream naturaliter suscipere nequeat? Quod autem anima recepta in corpore ab eo non dependeat, cum tamè vbitas Angeli ab eo in genere c. v. materialis

materialis dependeat, rectè compèlatur per hoc; quod anima in corpore sine dependentia recepta sit omnino spiritualis; cum tamen vbitas cum dependentia in Angelo recepta non sit omnino materialis, sed simpliciter spiritualis, nec nisi vestigio quodam materialitatis affecta. Præterea Auctores illi, qui Angelum esse in loco censent per vnionem cum corpore accidens ali- quod corporeum eo ipso in Angelo inuitabiliter reci- pi censent, aut certè tenentur censere, cum Angelus naturaliter nequeat non esse in loco: quod tamen cui- us æquè difficile videbitur, ac quod nos admittimus. Tandem aduersarij ipsi docent, vbitatem extensam in Angelo nec extenso, nec diuisibili tanquam in subie- cto adæquato recipi: cur igitur accidens corporeum in subiecto omnino incorporeo suscipi possè renuant?

4 Assertio secundò: plura entia spiritualia composi- tionem essentialē siue ex actu, & potentia, aut forma, & materia etiam incorporea suapte natura excludunt. Hæc assertio inter scholasticos communis, prius in anima, deinde in Angelo suadet. Primò ad hominē: quia iuxta aduersarios compositum aliquod generari est eius formam, aut etiam vnionem generari: forma illa, ex qua animam rationalem essentialiter componi fingunt, dependenter ab eius materia incorporea ge- neratur: dem à fortiori de eius vnione dicendum est: ergo anima rationalis absolute generabitur, & non creabitur, contra quam aduersarij protestantur. Rur- sus secundò: anima rationalis est vera corporis for- ma, vt salua fide, & ratione naturali negari nequit: at si actu, & potentia materia spirituali, & forma con- staret, corporis nostri vera forma esse non posset: aut enim anima rationalis ratione formæ, qua ipsa con- stat, corpus nostrum informat, & hoc falsum est: aliàs illa forma duplicem materiam informat, videlicet incorpoream, qua anima constat; & corpoream, qua totus homo constat; aut anima rationalis corpus no- strum informat ratione materiæ, qua ipsa constat, & hoc non minus falsum est: aliàs materia illa non ma- teria propriè, sed forma esset: atque insuper illud, quod aduersarij formam substantialem animæ appel- lant, non forma substantialis, sed accidens esset, vt pote quod ens essentialiter completum, atque ex materia, & forma compositum præsupponeret.

5 Præterea materia illa, siue potentia spiritualis, ex qua anima componitur, cui muneris necessaria est: ne- que enim est necessaria, vt anima corpus informer, cum potius ad eam informationē magis conducat, vt anima mera forma sit, & materiæ expers: neque etiam est necessaria ad hoc, vt anima intelligat, id est intel- lectionem efficiat, ac recipiat: sicut enim reliquæ ef- fectiæ proprietates suas efficiunt, ac recipiunt; ita similiter anima intellectionis suæ principium simul actiuum, ac passiuum esse poterit, quantumlibet sim- plex sit: neque etiam ea materia necessaria est, vt anima per eam sentiat, cum ad sentiendum mate- ria corporea non solum sufficiat, sed etiam sola vri- lis esse possit: ea etiam materia spiritualis necessaria non est, vt anima sit in tempore, & loco aliaque acci- dentia incorporea sortiatur: siquidem ipsamet animæ forma ab aduersariis conficta sua sibi accidentia spi- ritualia vendicat, quin in materiam, aliamque formam ulterius resoluibilis sit. Tandem ea materia necessaria non est, vt anima nutritionem, aliaque operationes materiales exerceat, cum hæc non materiam spiritua- lem, sed corpoream exposcant: nullus igitur vfus excogitari potest, in quem ea materia animam no- stram componens necessaria sit: quare cum non sint multiplicandæ entitates sine necessitate, frustra- que fiant per plura, quæ fieri possunt per pauciora; certè in anima nostra actus, & potentia multiplicari

R. P. Richardi Lincolniensis, Philosoph. Tom. III.

non debent. Hinc autem probari potest, Angelum etiam compositionis essentialis, actuique, & potentia substantialis immunem esse: tum argumentis iam fa- ctis: tum quia non repugnat substantia spiritualis completa partium essentialium expers: cum igitur eiusmodi non sit Angelus, præsertim cum anima An- gelo imperfectior, tales partes excludat: tum etiam quia id perspicue docet Dionys. c. 4. de diuinis no- minibus ibi: *Incorporales omnino, atque materia carentes intelliguntur, & tanquam spiritus supra humanum intelligunt modum.* Deinde tom. 3. Bibliothecæ in ly- turgia Græcorum oda 3. Genebrard. refert haberi hæc verba: *Sancti Angeli primi luminis secunda lumina participatione materia experte, & beatissimo decore ex- cellentes.* Sophronicus tom. 2. Bibliothecæ orat. de Sanctis Angelis eos vocat ibi: *Diuiuos Dei exercitus, materia expertes, mente rationeq; præditas intelligētiās.*

6 Assertioni præcedenti refragantur Alenf. 2. p. q. 20. memb. 2. Bonau. in 2. dist. 3. a. 1. q. 1. Richard. ibid. Au- reol. Auicenn. commentator, Plotinus, & alij. Primò, quia nullū ex stens completū, quod agere, & pati nequeat, siue corporeum siue incorporeum sit: at est actiuum ratione formæ: ergo passiuum ratione alicuius mate- riæ, qua constat: alias profecto eadem simplex poten- tia simul actiua, & passiua esset: quod tamen æqualem repugnantiam præferret, ac quod eadem indiuisibilis potentia intellectiua, & volitiua, nutritiua, & loco mo- tiua sit aliaue quasunque, & quantumcunque diuer- sas operationes absque fine respiciat. Rursus secundò: omne ens completum creatum, quantumlibet spiri- tuale sit, est indifferens ad esse, vel non esse: ergo constat aliqua materia, siue potentia, quæ iam esse, iam non esse suscipere possit, cum sine subiecto communi nulla indifferentia realis esse possit: alias profecto indiffe- rentia illa, qua lignum indifferens est, vt lignum ma- neat, vel in igne abeat, sine subiecto cōiungi, aut ma- teria prima intelligi posset. Cæterum hæc argumenta non vrgent. Ad primum respondeo, eandem indiuisi- bilem realiter potentiam simul actiuam, ac passiuam esse, vt explicatū est in phys. lib. 4. cum de essentia suarum proprietatū effectiua, ac receptiua; aqua v. g. videlicet ad naturam frigiditatem seclē reuocante disputatio nobis esset. Idipsum etiam lib. seq. tr. 1. ostēdetur, cum de vnitatē, & indist. nōtione potentiarum animæ ser- mo erit. Ad secundum argumentum respondeo, in- differentiam ad esse, vel non esse argumentum non esse compositionis ex materia & forma, sed tantum compositionis ex essentia, & existentia, quæ solius rationis est: cuius signum est, quia materia illa anima, aut Angeli est indifferens ad esse, vel non esse, cum creatura sit; & tamen ex alia materia, & forma non componitur, aliàs in anima, & Angelo infinitas esse materias hand dubiè sequeretur. Lignum autem non ideo præcisè materia constat, quia est indifferens vt- cunque ad hoc, vt lignum sit, vel in ignem transeat; sed quia ea indifferentia determinatur per luctam contrariarum qualitarum, quæ in lignum introdu- cuntur, quæque vel ad sui distractionem disponunt, vel certè in materia ligni prout existenti recipiuntur, vt in physica lib. 2. tract. 2. cap. 1. ex professo osten- sum est.

7 Assertio tertio: non repugnat ens spirituale ex- potentia & actu essentialiter compositum, cuique in- diuisibilas essentialis minimè essentialis, sed potius contraria sit. Huic assertioni fauent non solum omnes ij, qui præcedenti refragantur, sed etiam non pauci eorum, qui illam timentur: præsertim vero Ariaga disp. 5. de anima sectione 5. Probat autem primò: non magis est proprium corporis completi, quod essentialiter sit cōpositum, quàm quod integraliter sit

B b 2

compositum,

compositum, imò hoc posterius magis proprium ei esse videtur, quàm illud prius: cum plures explicent corpus quatenus tale per integram compositionem: nemo vero, quem viderim, per essentialem compositionem illud explanat: corpus compositionem integram sibi magis propriam, cum ente tamen spiritali communem habere potest, ut tract. præcedenti exposuimus: ergo à fortiori compositionem essentialem ex actu & potentia cum ente spiritali communicare poterit, quidquid sit, an eiusmodi ens purè spirituale sit, an aliquid corporeæ concrecionis habeat. Præterea potest dari corpus completum essentialiter simplex, ac materiæ, & formæ expers, ut à nobis latè ostensum est in Physica, cum de continuo ageremus, & in concessio habetur à multis, qui nobis refragantur: igitur è contrario spiritus completus essentialiter compositus, & materiæ incorporeæ, ac formæ princeps non repugnat: neque enim est magis de ratione spiritus simplicitas essentialis, quàm de ratione corporis compositio essentialis: unde sicut corpus compositionem essentialem exuere potest: ita similiter spiritus eam induere, & contrariam ei simplicitatem à se repellere poterit.

8 Verum huic postremæ assertioni nostræ præter alios refragantur Hurtado de anima disp. 2. sect. 2. & P. Suarez disp. 13. metaph. sect. 19. num. 16. ubi tamen ingenuè fatetur, neminem ex præcis scholasticis expressè secum consentire, aut nobis dissentire. Arguunt igitur primò: compositio illa entis spiritalis ex materiæ, & forma esset connaturalis, & simul non esset connaturalis: quæ repugnantia sunt: esset quidem connaturalis, quia materiæ & forma eius essent naturaliter possibiles in alio saltem rerum ordine: ergo compositio ex utraque vtriusque naturæ consentanea esset. Deinde talis compositio connaturalis non foret: siquidem natura nihil intendit nisi propter aliquem finem: ea autem compositio ad nullum finem utilis esset: nam substantia illa absque compositione intelligere, & velle, vbiari, & durare, aliasque quasvis operationes multo melius exercere posset. Cæterum hoc argumentum non virget: compositio enim illa ex actu, & potentia incorporeis utilis esse posset ad hoc, ut forma illa spiritalis dependenter à subiecto suo spiritali operationes spirituales exerceret, & aut velleret, aut intelligeret: haud aliter ac anima nostra dependenter à corpore sensiones materiales efficit.

9 Arguunt secundò ex B. Thoma 1. part. quart. 50. si daretur ens spirituale completum ex potentia, & actu, siue materiæ, & forma coalescens: eiusmodi forma esset, & non esset i. dependens à materiæ, quam informat. Dependencia suaderetur: quia forma illa spiritalis haud aliter se haberet ad subiectum spirituale, ac formæ materiales se se modo habent ad subiectum materiale. Independentia vero suaderetur: quia eiusmodi forma haberet operationem intellectuales: operatio autem intellectualis est omnino independentem à quavis materiæ: ergo haberet operationem independentem ab omni materiæ: cum igitur esse sit propter operari, & alterum cum altero proportionem habeat; sanè ipsamet forma in suo esse ab omni materiæ independentem erit: quod autem operatio intellectualis sit independentem ab omni materiæ, inde constat, quia eius obiectum in esse obiecti ab omni materiæ abstrahit, arque independentem est, nimirum cum in ens ut sic latissimè sumptum fertur: ergo & ipsa operatio intellectualis in esse rei erit independentem ab omni materiæ cognitio enim, & obiectum proportionem necessario servant. Hoc etiam argumentum parum cōcludit: nam, quavis obiectum operationis,

siue cognitionis in esse obiecti; aut, quod plus est, in esse etiam rei ab omni materiæ independentem sit, haudquaquam sequitur, cognitionem ipsam, aut formam cognoscitivā ea affectam, in esse rei ab omni materiæ independentem esse: tum quia cognitio creata terminata ad Deum prout est ens increatum, respicit obiectum independentem tam in esse rei, quàm in esse obiecti à causa efficienti, & tamen ipsa cognitio non habet talem independentiam ab omni causa efficienti: cur ergo cognitio, & obiectum quoad independentiam à materiæ, siue causa materiali proportionem servare debeant? Tum etiam quia cognitio Dei ad rem corpoream in particulari terminata est independentem in esse rei ab omni materiæ, quin tamen eius obiectum talem independentiam in esse obiecti, aut etiam in esse rei sortitur: ergo è contrario, &c.

CAPUT II.

An ens spirituale essentialiter inuisibile sit?

10 **A** Ssero primò: ens omnino spirituale est ita inuisibile, ut sensibus corporeis internis, aut externis naturaliter percipi nequeat. Hec assertio probatur: quia corpus in communi Physice sumptum est naturaliter sensibile, ut experimento corporum omnium constat: ergo è contrario spiritus proprietatis erit insensibilis: id quod etiam constat, non experimento spirituum omnium, sed potius ex eo, quod omnes nobis in experti sint. Rursus ita de ente spiritali sentiunt Augustinus lib. 1. de quant. ibi. *In ipsis sensibus quibus nisi corporea sentire datum non est, nihil, ad rem, id est, ad vim sentiendi valet corporis magnitudo, & lib. de Magist. ibi: Namque omnia, quæ per spiritum aut sensu corporis, aut mente percipimus: illa sensibilia, hæc intelligibilia; siue, ut more Auctorum nostrorum loquar, illa carnalia, hæc spiritualia nominamus.* Gregor. Nyssenus orat. catechetica: *nam, quæ intelligentia percipitur natura est res quadam incorporea, & intaetilis, & informis; sensibilis autem ex ipso nomine est intra mentis comprehensionem, qua fit per sensibilia.* Beda tom. 2. lib. 1. de elementis Philosophiarum: *sunt, & esse non videntur incorporea, sensus enim extra subiectam materiam nihil potest: sunt, & esse videntur corporalia, seu diuturnum seu caducum habeant corpus: corpora namque subsistent sensui.* Athanasius ad Liberium Papam ibi: *unus Deus immortalis, inuisibilis, & intaetilis, eo quod Deus sit spiritus.*

11 Dices tamen: carentiæ sunt incorporeæ, & immateriales: quæ enim entitatis expertes sunt, quo pacto corpus participare possunt: ac sensibus non solum internis, sed etiam externis percipi possunt: ergo etiā res spirituales quantumvis incorporeæ sunt, sensibiles tamen erunt. Maior suaderetur à posteriori: quia umbra milui pullos gallinæos terret, atque in fugam convertit: igitur umbra, quæ carentia lucis est, videtur, exteriusque & interius sentitur. Quod autem aliqui respondent pullos gallinarum terri, non quod umbram milui exterius, aut interius videant; sed quod ipsum miluum sensu communi videant: excitata specie illius per umbram non conspectam, ac lucem umbræ circumfusam, & conspectam: sicut etiam rei absentes, & exterius non visæ species sepe excitatur: hoc, inquam, ex eo falsum esse constat: quia milui nunquam visi umbra pulli terrentur: cum species ipsius milui in illis non excitatur, cum nullam eiusmodi speciem habeant: ergo non milui interiori sensu apprehensus eos terret, sed potius umbra exterius visæ, & interius formidata. Rursus satis percipere non

non possum, qua ratione umbra mihi exterius non percepta speciem tamen in sensu interiori excitare possit, cum fieri nequeat, ut vox præsens, & non audita, aut color præsens, & non visus sensum internum moueat. Propter hoc argumentum arbitror, carentias sensibus corporeis percipi posse: hoc autem non tollit, quominus substantiæ spirituales insensibiles sint: non enim idcirco sensibus nostris non patent, quia materia vacant, qua etiam carentiæ destituuntur, cum tamen sensibiles sunt; sed quoniam earum immaterialitas non solum est negatiua, sed etiam positiua, eaque quæ cum excellenti quadam, ac supra sensum omnem, & ferme etiam cogitationem substantia cohereat.

12

Assero secundò: ens spirituale ita inuisibile est, ut sensibus corporeis ne diuinitus quidem percipi possit. Hac assertio est omnium Theologorum, & absque nota saltem temeritatis ab ea discedi nequit: verum non firmis argumentis sententiam firmè tenendam omnes probant: vnum, aut alterum breuiter reicio, ac reliquorum examen Theologis relinquo. Prius, quo plerique vtuntur, ita se habet: nulla potentia vitalis extrahi potest ab obiecto suo naturali, licet ad illud percipiendum melius, & perfectius, quàm naturaliter possit, supernaturaliter euchi queat: at nulla res omnino spiritualis est obiectum naturale visus, aut auditus, alteriusve sensus corporei nostri: ergo sensus corporeus noster ad perfectionem rei spiritualis supernaturaliter euchi nequibit. Minor constat ex his, quæ assertionem præcedenti diximus. Maior videtur perspicua: siquidem potentia vitalis specificatur à suo obiecto naturali, ab eoque formam, & essentiam mutuatur: inuariata ergo eius essentia, & specie ab illo extrahi, & ad aliud obiectum sibi non connaturale ferri nequibit. Huic tamen argumento parum fido, primò: quia sicuti potentia intentionalis specificatur à suo obiecto naturali, ita etiam potentia effectiua, aqua, v.g. à suo effectu, ac termino physico: at hoc non obstante aqua diuinitus eleuari potest iuxta plerosque aduersarios non attingit, nec potest: ergo quam tamen naturaliter non attingit, nec potest: ergo similiter, &c. Rursus secundò: claritas corporum gloriosorum fortasse est lux intrinsecè supernaturalis, idque absque vlla hæsitacione docent Scotus in 4. dist. 49. q. 15. Suarez, Salas, & alij: at eiusmodi claritas sensu corporeo percipitur: igitur hic extrahitur à latitudine obiecti sibi connaturalis.

13

Alterum argumentum, cuius impugnationem supra pollicitus sum, sic se habet: omnis potentia materialis est diuisibilis integraliter, omni que res spiritualis est contrario est integraliter indiuisibilis: at potentia diuisibilis eleuari nequit ad perceptionem rei indiuisibilis: ergo nec potentia materialis ad perceptionem rei spiritualis. Minor suadetur: quò maior est aliqua substantia materialis, maiori que partium mole, ac diuisibilitate prædita, eò facilius oculis corporeis à longè videtur: quò vero minor est, paucioresque partes habet, eò minus à longè videtur, eiusque exiguitas, atque indiuisibilitas esse potest, ut visum nostrum omnino subterfugiat, & ne prope quidem posita à nobis discerni, aut videri possit: ergo cum res summè indiuisibilis est, & nullas omnino partes habet, nullumque etiam respectum ad eas inuoluit (qualis proculdubio est res omnino spiritualis) summè etiam inuisibilis erit, atque adeò ne diuinitus oculis corporeis videri poterit. Huic argumento aliqui plus æquo tribuunt. In primis enim nullam vim habet in potentiis materialibus alterius ordinis ab iis, quæ de facto existunt: cur enim Deus producere nequeat potentias ali-

quas materiales, quæ à præsentia obiecti in suis operationibus non dependeant, quæque illud in quacunque distantia, & quacunque exiguitate percipere queant, haud minus facile, at bene, ac si plures præsentis partes haberet? Rursus argumentum non procedit in nostris sensibus internis: siquidem phantasia nostra non quò minus est obiectum aliquod, eò difficilius illud in quauis distantia percipere potest, cum tam facile, ac bene hominem paruum in magna distantia, ac hominem magnum in parua imaginemur: imò artifices opus, quod effectum sunt, ingens, v.g. palatium per modum alicuius exigui idoli sibi proponunt, vementius, ac facilius illud mente concipiunt, & opere exequantur: cur igitur phantasia nostra eleuari non possit ad percipiendam rem spirituales quamlibet partium experts, ac nullius diuiduæ magnitudinis sit? Præterea calculatio facta supposito naturali ordine tantum procedit: & quò minus est obiectum, eò minus in magna distantia oculis corporeis naturaliter cerni potest. Hinc autem ad summum colligitur, ne diuinitus quidem fieri posse, ut res omnino indiuisibilis, ac minimæ, seu potius nullius molis corporeis oculis naturaliter cerni possit. At quò fundamento inde inferitur, rem spirituales, ac mole minimam, & indiuisibilem supernaturaliter oculis corporeis videri non posse? Proinde argumentum aduersariorum in ipsos hac ratione retorqueo: obiectum aliquod materiale, etsi minus efficiatur, & ad pauciores partes redigatur, & quamuis in magna à nobis distantia collocetur, tamen si visus noster corporeus supernaturaliter recreetur, & eleuetur, æquè bene poterit illud percipere, ac si ingentis magnitudinis esset, & non procul abesset, sed potius coram adesset: igitur in oculis corporeis supernaturaliter recreatis, & eleuatis supputatio facta locum non habet.

14

Quapropter communem Theologorum omnium sententiam breuiter sic suadeo: visio oculorum nihil aliud, quàm externa quædam, & materialis perceptio coloris: auditio etiam nihil aliud, quàm perceptio soni: & olfactio, quàm perceptio odoris: & sic de reliquis, &c. Quod si harum sensuum eæ definitiones reiciantur, nullius rei natura stabilis, nullis definitio firma erit, & nec homo per animal rationale, aut equus per animal ininabile, aut candor per vim segregatam visus, aut Deus per ens à se, aut creatura per ens ab alio quidditatiuè explicari poterunt, sed potius quid vnumquodque sit, semper nos latebit: at nulla res spiritualis est color, aut sonus, aut odor, aut aliud accidens eorum, quæ sub sensum aliquem cadunt: ergo nulla res spiritualis videri, audiri, aliove modo sentiri poterit. Confirmatur: quia perceptio rerum spiritualium est formalissimè intellectio: ergo si visus corporeus res spirituales perciperet, eas tamen intelligeret: at ne diuinitus intelligere potest: aliàs intellectus esset, atque adeò belluæ irracionales, ut visu corporeo interdum perspicacissimo, sic etiam intellectu, & ratione præditæ essent.

CAPVT III.

An ens spirituale suapte natura immortale, aut etiam penetrabile cum alio eiusdem rationis sit?

15

Assero primò: ens omnino spirituale est naturaliter incorruptibile, siue immortale. Hac assertio probatur: quia omne corpus præcisè tale est naturaliter corruptibile: ergo è contrario omnis spiritus perfectè talis erit naturaliter incorruptibilis.

Bb 3

Conse

Consequentia perspicua est. Antecedens constat, tum experimento corporum omnium, de quibus nobis constat esse præcisè talia, nullumque vestigium immaterialitatis habere: tum etiam quia ita de corpore sentiunt Isidorus lib. 11. origin. cap. 1. ibi: *Corpus dictum pro eo, quod corruptum perit: solubile enim, atque mortale est.* Chrysostomus tom. 4. homil. 10. cap. 3. epistol. posterioris Pauli ad Corinth. ibi: *Ceterum oportet corruptibile, hoc est, corpus indui incorruptione.* Gregorius Magnus homil. 26. ibi: *Nam & corrumpi necesse est, quod palpatur, & palpari non potest, quod non corrumpitur.* Quibus verbis rem corpoream, ac palpabilem eo ipso corruptibilem esse significat. Obiicit tamen: accidentia Angelica, cuiusmodi sunt eius intellectio, volitio, vbicatio, & duratio, sunt putè, ac perfectè spiritualia; & tamen corruptibilia sunt: ergo, &c. Verum responderi potest, eiusmodi accidentia ita simpliciter spiritualia esse, ut vestigium aliquod materialitatis habeant: aut etiam dici potest, accidentia Angelica adequatè recipi in subiecto immateriali, & incorruptibili, eaque propter esse æquivalenter immortalia, siue incorruptibilia iuxta communem paræmiam: quidquid recipitur, recipitur ad modum recipientis.

16 Afferro secundò: ens omnino spirituale suapte natura est penetrabile cum alio eiusdem rationis. Probatur assertio familiari iam nobis argumento: corpus omnino, ac præcisè tale est naturaliter impenetrabile cum alio eiusdem rationis: ergo è contrario spiritus perfectè talis penetrabilis erit. Consequentia perspicua est. Antecedens probatur: tum iis experimentis, quibus usi sumus, cum de raro, & denso ageremus: tum etiam quia ita sentiunt Aristoteles multis in locis, præsertim vero 1. de anim. c. 5. ibi: *Nam cum anima sit in corpore sentiente, necesse est in eodem loco duo corpora esse, si anima corpus esse ponatur.* Quibus verbis colligit, animam non esse corpus, quia alias anima corpus sentificante duo corpora in eodem loco penetrarentur, Basilii homil. 3. in Hexamer. ibi: *Est autem Mathematicum corpus, quod in dimensionibus solis consistit latitudine, inquam, longitudine, & profunditate: firmum autem, solidumque est, quod cum dimensionibus & reniti, resistereque potest.* Quibus verbis significat, corpus physicum, siue corpus prout distinguitur à corpore mathematico impenetrabile esse cum alio corpore, eique resistere, ac reniti, ne in eodem loco cum illo peherretur. Claudianus lib. 1. de statu animæ c. 18. *Quodlibet ergo corpus, etiamsi clausum manu in exterioribus suis per totum tangatur, in interioribus certè non tangitur. Hinc patet, totum simul tangi non posse, neque in uno loco esse posse quamlibet minimum, totum posse.*

17 Enimvero communiter Thomistæ cum Capreolo in 2. dist. 1. q. 1. art. 1. concl. 5. Caietano, & Ferrara oppositum sentiant, atque in hunc modum arguunt. Angelus est in loco per operationem; siue, quod perinde est, per applicationem, siue contactum virtutis: at vnus operationis vna tantum causa adequata naturaliter dari potest: ergo & vnum locum vnus tantum Angelus naturaliter occupare potest, ac proinde cum alio impenetrabilis erit. Respondeo: transeat, Angelum esse in loco per operationem. Hoc permisso; quid verat, duos Angelos corpus aliquod simul & semel mouere, utroque per modum causæ partialis concurrente ad eum motum, prout est transiens, & ex parte passi se tenet: erunt igitur ambo in eodem loco spatio. Quod vero non possint esse causæ adequatæ eius motus, aut impulsus, non obstat, quo minus in eodem loco simul esse queant: certum est enim, Deum, & Angelum esse in eodem loco, cum Angelus

alicubi sit, Deus vero nullibi non sit: & tamen Deus, & Angelus non velut causæ adequatæ, sed velut inadæquatæ concurrunt. Arguunt secundò: non possunt duo habere simul, & semel eundem modum essendi in alio, licet diuerso modo in eo esse possint; quia de causa in eadem materia duæ formæ naturaliter esse nequeunt: at vero forma aliqua, qualis est anima, & Angelus, qui forma non est, in eodem energumeni corpore simul esse possunt: videlicet quia duæ formæ eodem modo in corpore essent, cum tamen Angelus, & anima non nisi diuerso modo in eo existant: sed si duo Angeli, aut duo animi in eodem loco essent, in eo eodem modo essent, eundemque essendi modum in alio fortiterentur. Verum in primis respectu ab est longè maior, quàm respectus in: id enim quod est ab aliquo, velut à causa adequata, illud essentialiter respicit; cum causæ adequata cuiuscunque effectus Deum comprehendat, sine quo nihil existere potest: contra vero id, quod est in aliquo, illud essentialiter non respicit: neque enim quia forma est in materia, sine ea diuinitus esse nequit: aut quia res est in loco connaturali, sine eo etiam absque miraculo conseruari non potest. At duæ res eodem modo ab alio simul esse possunt, ut cum Deus duos animos, aut Angelos creat: ergo à fortiori duæ res eodem modo in aliquo simul esse possunt. Rursus aliqua duo simul in eodem tempore, eodem prorsus modo existunt: parique ratione duo gradus homogenei in eodem subiecto eodem modo existunt: ergo similiter, &c. Propter hæc argumenta Scotus in 2. distinctione secunda, quæstione octaua, irrationabilem esse pronuntiat propositionem illam vniuersalem: *Non possunt duo simul habere eundem modum essendi in alio.*

CAPVT IV.

An ens spirituale essentialiter intellectuum, ac liberum sit.

Afferro primò: omne ens perfectè spirituale eo ipso intellectuum est. Ita Angelicus Præceptor 1. part. quæstione 14. articulo 1. Capreolus, Caietanus, Ferrara, & ceteri Thomistæ: ex nostris etiam P. Suarez disp. 3. metaphys. sectione 3. Molina, Valentia, & communiter reliqui. Probatur autem statuta assertio: omnis res præcisè materialis, & corporea eo ipso intellectiua non est: ergo è contrario res omnino spiritualis eo ipso intellectiua erit. Antecedens suadetur: res vnita corpori omnino tali per meram conjunctionem cum illo, hoc ipso minus perfectè intelligit, ergo res summe, ac per identitatem vnita corpori, seu rei corporeæ omnino tali nullo modo intelligere potest. Hæc consequentia me iudice manifesta est: si enim accessus aliquis ad corpus vim intelligendi minuit, & hebetat; certè summus accessus ad corpus, cuiusmodi est accessus per identitatem, intelligendi vim penitus abolebit: sic accessus ad Deum imperfectionem rei minuit, & quò magis creatura aliqua ad Deum accedit, eo minus imperfecta est, magisque perfectionem creatoris imitatur: summus vero accessus ad Deum, qualis est accessus per identitatem omnem omnino imperfectionem de medio tollit: ac proinde actus liberi Dei quantumvis ratione libertatis, & quasi contingentie imperfecti videantur, nullam tamen imperfectionem etiam minimam habent: videlicet quia ad perfectionem Dei infinitam, ac necessariam summè, & identicè accedunt.

Superius

19 Superius autem antecedens negari nequit: siquidem anima humana, licet tantum sit unita, & conferta corpori, & nec ab eo dependeat; nec cum illo identificeetur, minus tamen perfecte intelligit, quam si corporeis hinc vinculis exoluta esset: huc enim spectat illud sapientia 9. cap. corpus, quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Huc etiam illud Gregor. 8. moral. c. 8. electus quisque, quousque infirmitatis conditione constringitur sub dominantis corruptionis iugo, quasi sub aestus anxietate retinetur; qui nimirum cum a corruptione exutus fuerit, tunc sibi metipsum liber, & tranquillissimus innotescit. Huc tandem spectat illud Tertulliani de anima: si enim corpus istud Platonica sententia carcer ceterum Apostolica Dei templum cum in Christo est, sed interim animam concepto suo obstruit, & obscurat; & concrezione carnis infacat: unde illi velut per conuexum specular, obsoleior lux rerum est. proculdubio cum vi mortis exprimitur, de concrezione carnis, & ipsa expressione colatur; certe de oppanso corporis erumpit in apertum ad meram, & puram, & suam lucem, statim semetipsam in expeditione substantia recognoscit, & in diuinitatem ipsa libertate respicit, ut de somno emergens ab imaginibus ad veritates.

20 Alio etiam argumento eadem assertio probati potest: res spirituales, & incorporeas, cuiusmodi sunt Deus, Angelus, & animus, percipere atque attingere, est proprie loquendo intelligere: haud aliter ac sentire exterius colorem, est videre: at nulla res omnino materialis, & corporea potest percipere, aut cognoscere res spirituales, vt cap. 2. ostensum manet: ergo neque intelligere poterit: ex quo efficitur, vt & contrario omnis substantia omnino spiritualis non intelligere non possit: Maior autem per se perspicua est, eamque docent Author libri de spiritu, & anima c. 24. ita tria genera visionum manifesta sunt: primum corporale, quo per corporis sensus corporalia sentiuntur; secundum spirituale, quo corporum similitudines spiritus, non mente cernuntur: tertium tum intellectuale, quo illae res, quae nec corpora, nec corporum formas habent, conspiciuntur. Basilii in cap. 5. Haec ibi: quodque inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur: haec fortassis sensibilis creaturarum apprehensio dicta est visio intellectualis, aut notio supramundanorum spirituum appellata & intelligentiarum: ac tandem Claudianus lib. 1. de statu animae cap. 13. valde stupeo quomodo quispiam Christianus Doctoris praesertim loco desinat, cuiuslibet pulchro, cuiuslibet sublimi corpori tamen contemplabilem Deum fore, & vniuersum localiter videri posse, cum Deum videre hoc sit intelligere.

21 Contrariam tamen sententiam tuentur Gabriel in 1. dist. 5. quæst. 1. Aureolus apud Capreolum ibidem, & ex nostris Arriaga disp. 1. de anima sect. 4. subsect. 8. num. 140. & alibi sæpè. Hi omnes putant, possibilem esse substantiam omnino spiritualement, minime tamen intellectuiam. Primum quia res omnino spiritualis nihil aliud est, quam res penetrabilis cum alia eiusdem rationis: at non est, cur res omnino penetrabilis cum alia eo ipso intellectui esse debeat; cum penetrabilitas adeo eximia perfectio non sit, vt vim intelligendi necessario secum coniunctam habeat. Respondeo tamen negata maiori, cuius falsitas tract. 1. satis superque ostensa manet: fateor tamen non implicare substantiam penetrabilem, & minime intellectuiam;

ac proinde non implicare substantiam aliquatenus spiritualement, intellectu tamen destitutam: sicut & conuerso diffidendum non est, possibilem esse substantiam aliquam impenetrabilem, siue diuisibilem, quæ intellectui sit, substantiaque spirituales absque vlla eleuatione cognoscat; & materiales non tantum simpliciter apprehendat, verumetiam circa illas discurrat. Hinc autem solum efficitur, substantiam materialem non omnino rationem, de qua hactenus loquenti sumus, sed potius aliquo immaterialitatis vestigio præditam intellectui esse. Arguunt secundo: plura sunt accidentia spiritualia, quæ intellectus principia non sunt, vt potè volitio Angeli, aut animæ vbiatio: siue duratio: ergo non est de conceptu rei spiritualis vt sic quod intellectui sit: cur ergo repugnet substantia spiritualis, quæ tamen intellectui non sit. Respondeo perperam argui ab accidentibus spiritualibus ad substantias spirituales in præsentia, vt rectè annotantur Capreolus in 1. dist. 35. quæst. 1. & Molina 1. part. quæst. 14. nam plura accidentia spiritualia animæ, & Angelo inexistencia formaliter corruptibilia sunt: quis tamen hinc inferat possibilem esse animam rationalem, aut Angelum formaliter corruptibilem? Rursus accidentia non pauca Angeli, & animæ propria compositionem saltem partium intensiuarum habent: at quis inde colligat possibilem esse spiritum omnino incorporeum, & immaterialem partibus præsertim intensiuis constantem: ergo humiliter, &c. Respondeo secundo; accidentia animi, aut Angeli, vt intellectui non sunt, ita etiam omnino spiritualia fortassis non esse, sed potius vestigium quoddam materialitatis iis inesse. Respondeo tertio; accidentia Angeli, aut animi esse radicaliter intellectui, non quod sint principia intellectus, sed potius quod in aliquo principio intellectui radicentur, atque adequate recipiantur.

22 Assero secundo: omnis res pure spiritualis eo ipso libero arbitrio prædita, actionum suarum domina, & ad vtrumlibet indifferens est. Probatur assertio; quia non est potior ratio, cur creatura illa omnino intellectualis sit, quam libera; (quidquid sit, an ex intellectualitate libertas sequatur:) cedo enim quæ ea disparitatis ratio sit: at eam intellectualem esse supra ostendimus. Deinde multo maior perfectio est libertas arbitrij, quam rem esse indiuisibilem, penetrabilem, aut inuisibilem: at omnis res pure spiritualis meritorum perfectionis id habet, vt indiuisibilis, penetrabilis, ac inuisibilis sit: cur ergo titulo suæ perfectionis libera non sit? Præterea omnis creatura merè corporalis eo ipso libertatis experta est: ergo contrario omnis creatura pure spiritualis hoc ipso libertatis particeps erit. Hæc consequentia sæpè sapius à me in simili probata est. Antecedens autem probatur ex Augustino lib. 8. de Genesi ad liter. cap. 23. ibi: cum igitur omne corpus, & omnis anima irrationalis non habeat voluntatis arbitrium, subdita ita sunt eis naturis, quæ prædita sunt arbitrio voluntatis ex Machario Hom. 15. ibi: creatura visibiles natura quadam immutabili prædite sunt. Et ex Claudiano lib. 3. cap. 26. ibi: voluntas animæ substantia eius est, & si tota vult, anima tota voluntas est: at voluntas corpus non est: igitur anima non est corpus. Quæ autem argumenta contra hanc assertionem opponi possunt, ea à nobis in simili supra soluta sunt.